

nemo qui diuinioribus litteris suum statuit pretium, ibit inficias. Omni exceptione maius est sacrorum oraculorum interpretis fidelissimi testimonium firmissimum sanctissimumque „in omnem, inquit PAVLVS, terram exiuit fontis eorum,“ et ad ultima orbis terrarum verba eorum.“⁽¹⁾ Quis ab universis gentibus Cimbricos populos inconsulte ac temere excludat? Neque desunt scriptores optimi grauiissimique, qui contendunt, id temporis in Cimbriae finibus sacra Christiana vulgata esse atque proposita. Ex perpetua traditione memoriae prodidit ALBERTVS CRANTZIVS, ipsis NERONIS temporibus quemdam venisse Bardeicum, quae tum in mediterraneis vna dicitur vrbs floruisse, et inibi nomen IESV CHRISTI praedicasse, in eoque curas illius et cogitationes euigilasse, vt conspecta clarissima diuinae veritatis luce vicini etiam populi caecutire tandem aliquando definerent.⁽²⁾ Quid? quod disertis verbis testatur THEODORITVS, apostolos, vt omnes alios populos, sic etiam Cimbros sensibus occultis de vero Numine, caelestisque sapientiae arcanis salutariter instituisse.⁽³⁾

(1) Ad Rom. X, 18. ad Coloss. I, 6, 23. conf. Vener. Muhlius in dissertatione de conuersione paganorum sub auspicio Friderici IV. Cap. I. §. 14. p. 18. Vir celeb. C. M. Pfaffius in Origg. Iur. Eccel. Cap. II. §. 2. Io. Henr. Vrofinus de Eccles. German. orig. et progressu lib. II. cap. I. §. 1.

(2) Alb. Crantzus Metrop. lib. I. cap. I. p. m. 4. quum de boreali loquitur Germania, “Ferunt, inquit, sine certo auctore plurimi iam tum Neronis Imperatoris temporibus cum diuus Petrus Romae versare-“ tur, ex discipulis eius vnum venisse Bardeicum, quae tum in me-“ diterraneis vna in omni prouincia dicitur vrbs floruisse: ibique“ nomen Christi praedicasse, et longanimitate gentis totius conuersio-“ nem pie praestolantem, diem ibi suum obiisse. Religiose per an-“ nos mille et supra, eius sepulcrum inter omnes habitum, donec“ Henrico Leone urbem captam euertente, Rex Daniae Canutus, qui“ illi aderat, expeditionis mercudem acciperet a seculo ossa sacra pri-“